



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

III. De necessariæ gratiæ ad amandum Deu[m] ut naturæ authorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

aliquam internam, concursui generali superadditam, quæ per se sit causa operis.

CAPUT III.

De necessitate gratiæ ad amandum Deum ut naturæ auctorem.

RESOLUTIO I. *Potest homo in natura lapsa, Deum aliquo modo diligere sine auxilio gratiæ.*] PROBATUR I. ex eo quod Concilia dum negant amorem Dei haberi posse sine gratia, non de quacunque illius dilectione loquuntur, sed de ea quæ sit ut oportet ad salutem. Ita Arausic. 2. can. 25. & Trident. sess. 6. can. 3.

*Probat*ur secundo ratione; nam homo per lumen naturale cognoscit Deum existere, eumque esse infinitè perfectum, & summè bonum; item se ab illo pendere quoad esse, & conservari, atque adeò valde dignum esse qui ametur. Quidni ergo poterit hominis voluntas propriis viribus, in aliqualem saltem Dei amorem prorumpere? Præsertim cum negari non possit, quin homines virtute, aut ingenio præstantes, parentesque nostros, & alios quibus beneficio aliquo obstricti sumus, naturaliter diligamus.

Dices 1. Nullum pietatis opus fieri potest sine gratia, sed quævis dilectio Dei est opus pietatis ex Augustino epist. 29. ergo, &c. *Respondeo* dilectionem aliquam esse opus pietatis tantum naturalis, ad quam non requiritur gratia; aliam verò supernaturalis, de qua antecedens intelligendum est.

Dices 2. Imperfectus Dei amor est dispositio ad perfectam charitatem, adeoque ad gratiam sanctificantem; at nulla talis dispositio haberi potest sine gratiæ auxilio. *Respondeo* majorem falsam esse, loquendo de amore imperfecto, qui in Deum ut naturæ auctorem redit; ille enim est naturalis, ac proinde non potest propriè ad gratiam disponere.

Dices 3. Omnis amor Dei vel est benevolentia, vel concupiscentia, posterior non est honestus, ac pro-

inde

inde de eo hic non agitur, prior verò est supernaturalis ordinis, adeoque haberi non potest sine gratiæ auxilio. *Respondeo* hic duo falsa supponi. 1. amorem concupiscentiæ erga Deum non esse honestum, nam cum verè Deus sit bonum nostrum, & finis noster, amor quo ut talem eum diligimus, inordinatus esse nequit. 2. omnem amorem benevolentia erga Deum esse supernaturalem, oppositum enim sequenti resolutione probabitur.

Dices 4. Augustinum nobis adversari epist. 107. cum ait, liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. *Respondeo* sensum esse; nos per peccatum amissa charitate, consequenter amisisse facultatem seu potentiam ad diligendum Deum, ut oportet ad salutem.

RESOLUTIO II. *Potest homo in naturalapsa, diligere Deum amore aliquo benevolentia, sine auxilio gratia.*] **PROBATUR**, quia si non potest, hoc est, quia omnis amor benevolentia erga Deum est supernaturalis, at hoc falsum est cum ipsa ratio naturalis superiori lumine minime illustrata dicat, Deum à nobis ex benevolentia amandum esse, utpote inter res naturales maximè bonum & perfectum, Voluntas autem & intellectus sunt potentia inter se ita ordinata, ut quod iste naturaliter amplectendum esse iudicat, illa per se propriis viribus amplecti possit. Cum ergo eiusmodi actus sit naturalis, nulla ratio est cur nequeat voluntas propriis viribus, in eum prorumpere.

Confirmatur, nam cum amor ille sit ordinis naturalis, voluntas secundum se est illi sufficienter proportionata, adeoque non requiritur auxilium gratia, ut principium necessarium ad producendum physicè talem actum. Aliunde verò non est gratia necessaria, tanquam principium extrinsecum removens impedimenta, quæ voluntatem alioqui potentem, à prædicto amore retardare possent; non enim semper occurrunt eiusmodi impedimenta, ut patet

in eo

in eo simplici complacentiæ affectu, quo homo vult Deo omnes perfectiones naturales quas habet.

Dices 1. Amor amicitia & amor benevolentia idem sunt; at nulla est amicitia naturalis hominis ad Deum ex S. Thom: 2.2. q. 25. art. 1. Ergo nec benevolentia, ac proinde Deus non potest diligi amore benevolentia, sine gratia. *Respondeo 1.* Maiorem falsam esse, cum amicitia includat amorem mutuum, non autem simplex benevolentia, ut notat S. Doctor loco citato. 2. falsam item esse minorem & contra S. Thomam ibidem, ut non obscure ex eo colligitur, quia docet amicitiam fundari in aliqua communicatione, quare cum sit communicatio hominis ad Deum, non modo quoad bona supernaturalia, sed etiam quoad naturalia, non tantum inter illos esse potest amicitia supernaturalis, sed etiam naturalis.

Dices 2. Unica est in Deo bonitas, adeoque unius tantum rationis benevolentia ad eum terminari potest, eò quod actus ab objecto formali sumunt suam speciem. Est autem aliqua benevolentia supernaturalis erga Deum, ut constat ex Scriptura, & Patribus; ergo nulla naturalis admitti debet. *Respondeo* ad terminandas varias species benevolentia, satis esse quod Dei bonitas etsi unica, apprehendatur ut potens communicare bona diversorum ordinum, nempe naturalia, & supernaturalia.

Dices 3. Amor benevolentia est idem ac amor super omnia, quia amat soli Deo perfectionem, & bonitatem infinitam: atqui amor Dei super omnia non potest haberi sine auxilio gratia, ergo nec amor benevolentia. *Respondeo* per amorem Dei super omnia vulgò non intelligi amorem illum benevolentia qui tantum est affectivus, sed obedientialem, qui præterquam quod Deo sincerè amat suam bonitatem infinitam conjunctus est cum firmo proposito obediendi illius voluntati, omnique studio cavendi quacunque ab ea tantisper avertere possunt.

RÉSOLUTIO III. Non potest homo in natura lapsa, propriis viribus amare super omnia Deum, ut natura auctorem. **PROBATUR**, nam ille dicitur amare Deum super omnia, qui per absolutum decretum proponit illi in omnibus placere, omniaque illius præcepta quocumque tempore servare, & peccata opposita fugere, ita ut si Deus præcisè ut auctor naturæ super omnia diligatur, in tali amore virtualiter includatur firmum & efficax propositum, servandi totam legem naturalem, & cavendi omnia peccata mortalia illi repugnantia. Atqui non potest homo in natura lapsa, propriis viribus habere firmum & efficax propositum, servandi longo tempore totam legem naturæ, cum talis observatio naturæ viribus sit impossibilis, ut cap. sequenti dicemus: ergo neque potest propriis viribus amare super omnia Deum, ut naturæ auctorem, saltem actu absoluto, & de se efficaci, de quo tantum agimus.

Dices 1. Amor prædictus est ordinis naturalis, ergo naturæ viribus obtineri potest. Non sequitur, quia etsi amor ille non excedat vires phisicas voluntatis humanæ, per se spectatæ, eas tamen superat si spectentur difficultates sine gratia divina insuperabiles, quæ nunc occurrunt in diuturna totius legis naturalis observatione, & fuga omnium peccatorum ipsi repugnantium. Hinc enim fit, Dei amorem perfectum, & super omnia, cum debeat includere firmam & absolutam voluntatem, servandi longo tempore totam naturæ legem esse naturaliter impossibilem, eò quod non potest voluntas suis viribus efficaciter velle facere id, quod per easdem vires, sine speciali auxilio, facere non potest.

Dices 2. Potest homo in hoc statu creaturam aliquam super omnia diligere, ergo & Deum, præsertim cum habeat propensionem naturalem ad eum hoc modo amandum. Non sequitur, tum quia res sensibiles melius cognoscuntur, quàm Deus, atque adeo facilius amari possunt; tum quia amor Dei su-

per omnia virtualiter includit observantiam omnium præceptorum naturalium, idque per longum tempus, in amore autem creaturæ nihil simile reperitur. Quare etsi homo lapsus habeat naturalem inclinationem ad Deum super omnia diligendum, ea est impedita propter appetitum sensitivum, & tentationes externas, adeoque non potest in actum reduci, sine speciali auxilio.

Dices 3. Potest nunc homo quod posset in pura natura, at tunc posset naturaliter Deum amare super omnia, quia haberet præceptum ita illum amandi, & tamen careret gratia. *Respondeo,* supposito quòd in statu puræ naturæ, teneretur homo Deum amare super omnia, consequenter illi daretur auxilium aliquod ordinis naturalis, per quod ejusmodi præceptum exequi posset: hoc enim planè consentaneum esset suavi dispositioni divinæ providentiæ, quæ nunquam deest in necessariis & creaturas omnes sive racionales, sive irracionales per media suis naturis proportionata, ad fines suos dirigit.

CAPUT VI.

De necessitate gratiæ, ad servanda præcepta naturalia.

RESOLUTIO I. *Non potest homo lapsus servare longo tempore totam legem naturalem, sine gratia.*
PROBATUR 1. ex Script. Nam *Ezech. 36.* Deus promittit se facturum (utique per auxilium gratiæ) ut in præceptis ejus ambulemus. 2. Conciliis, & Patribus qui contra Pelagium ostendunt, totam legem divinam non posse impleri sine gratia Dei.

Neque dicas eos loqui de lege divina, ut etiam comprehendit præcepta supernaturalia; agunt enim de impotentia quæ competit homini in natura lapsa ad servandam totam legem, quod non potest intelligi nisi de lege naturali; cum etiam in natura integra haberet homo ex se impotentiam ad præcepta supernaturalia. Non etiam dictæ impotentia causam referunt